



BOLETÍN ECLESIASTICO

DEL

OBISPADO DE SALAMANCA

SUMARIO

- I. Constitución Apostólica sobre los derechos y privilegios de la Co-
fradía del Santísimo Rosario. — II. Consulta hecha por el Sr. Obis-
po de Málaga á la Sag. Congreg. de Estudios y respuesta de la
Congregación. — III. Resolución de la Congreg. de la S. Inquis.
Rom. *Circa matrimonia infidelium inita cum ex intentione ut sint
dissolubilia.* — IV. Circular de la Secretaría de Cámara sobre Mi-
siones. — V. De la Caja-Banco de Crespo-Rascón.
-

SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

CONSTITVTIO APOSTOLICA

DE LEGIBVS IVRIBVS AC PRIVILEGIIS SODALITATIS A SS. ROSARIO

LEO EPISCOPUS
SERVVS SERVORUM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ubi primum, arcano divinae providentiae consilio, ad supremam Petri Cathedram fuimus evecti, oblato conspectu ingruentium in dies malorum, Apostolici muneris esse duximus expediendae salutis agitare consilia ac studere, quibus maxime modis Ecclesiae tutelae et catholicae fidei incolumitati prospici posset.—Inter haec ad magnam Dei Matrem eandemque reparandi humani generis consortem ultro animus convolvavit, ad quam trepidis in rebus confugere catholicis hominibus praecipuum semper ac solemne fuit. Cujus fidei quam tuto sese crediderint, praeclara testantur ab ipsa collata beneficia, inter quae plura constat fuisse impetrata per probatissimam illam precandi formulam titulo *Rosarii* ab eadem invectam et Dominici Patris ministerio promulgatam.—Solemnes autem honores eo ritu Virgini habendos summi Pontifices decessores Nostri haud semel decrevere. Quorum Nos etiam aemulati studia, de Rosarii Marialis dignitate ac virtute satis egimus copiose, Encyclicis Litteris pluries datis, vel inde a kalendis Septembribus anni MDCCCLXXXIII, cohortantes fideles, ut, sive publice sive suis in domibus, saluberrimum hoc pietatis officium augustissimae Matri persolverent et Mariannis ab eo titulo Sodalitatibus sese aggregarent. Ea vero omnia nuperrime, datis litteris die v Septembris hujus anni, veluti in unum collecta, paucis memoravimus; simulque consilium Nostrum patefecimus edendae *Constitutionis* de juribus, privilegiis, indulgentiis; quibus gaudent

qui piae isti Sodalitati dederint nomina. Nunc vero ut rem absolvamus, votis obsecundantes Magistri generalis Ordinis Praedicatorum, Constitutionem ipsam edimus, qua leges de hujusmodi Sodalitate latas, itemque beneficia recensentes a summis Pontificibus eidem concessa, modum decernimus quo in perpetuum salutifera haec institutio regatur.

I

Sacratissimi Rosarii Sodalitas in eum finem est instituta, ut multos fraterna caritate conjunctos per piissimam illam precandi formulam, unde ipsa consociatio nomen mutuatur, ad beatæ Virginis laudationem et ejusdem patrocinium unanimi oratione impetrandum alliciat. Quapropter, nullo quaesito lucro aut imperata pecunia, cujusvis conditionis excipit homines, eosque per solam Rosarii-Marialis recitationem mutuo devincit. Quo fit ut pauca singuli ad communem thesaurum conferentes multa inde recipiant. Actu igitur vel habitu dum ex instituto Sodalitii suum quisque pensum recitandi Rosarii persolvit, sodales omnes ejusdem societatis mentis intentione complectitur, qui idem caritatis officium ipsi multiplicatum reddunt.

II

Sodalium Dominicanorum Ordo, qui, vel inde ab sui initio beatæ Virginis cultui maxime addictus, instituendae ac provehendae Sodalitatis a sacratissimo Rosario auctor fuit, omnia, quae ad hoc genus religionis pertinent, veluti hereditatio jure sibi vindicat.

Uni igitur Magistro generali jus esto instituendi Sodalitates sacratissimi Rosarii: ipso a Curia absente, subeat Vicarius ejus generalis; mortuo vel amoto, Vicarius generalis Ordinis.—Quamobrem quaevis Sodalitas in posterum

instituenda, nullis gaudeat beneficiis, privilegiis, indulgentiis, quibus Romani Pontifices legitimam verique nominis Sodalitatem auxerunt, nisi diploma institutionis a Magistro generali vel a memoratis Vicariis obtineat.

III

Quae anteacto tempore Sodalitates Sacratissimi Rosarii ad hanc usque diem sine Magistri generalis patentibus litteris institutae sunt, litteras hujusmodi intra anni spatium expediendas curent; interim vero (dummodo hoc unum tantum defectu laborent) sodalitates ipsas, donec eadem litterae expediantur, tanquam ratas et legitimas, ac privilegiorum, beneficiorum et indulgentiarum omnium participes, auctoritate apostolica benigne declaramus.

IV

Instituendae Sodalitati in designata aliqua ecclesia Magister generalis deputet per consuetas litteras sacerdotem sui Ordinis: ubi Conventus Sodalium Dominicanorum desint, alium sacerdotem episcopo acceptum.—Eidem Magistro generali ne liceat facultates, quibus pollet, in unum et absque limitatione committere Provincialibus, aliisve aut sui aut alieni Ordinis vel Instituti sacerdotibus.

Facultatem revocamus a fel. rec. Benedicto XIII Magistris Ordinis concessam (1), delegandi generatim Provinciales *transmarinos*. Indulgemus tamen, rei utilitate perspecta, ut earundem provinciarum prioribus, vicariis, praepositis missionalibus potestatem faciant instituendi certum Sodalitatum numerum, quarum accuratam rationem iis reddere teneantur.

(1) Constit. *Pretiosus*, die 26 Maji 1727.

V

Sodalitas a sacratissimo Rosario in omnibus ecclesiis publicisque aediculis institui potest, ad quas fidelibus accessus libere pateat, exceptis monialium aliarumque piarum mulierum vitam communiter agentium ecclesiis, prout sacrae romanae Congregationes saepe declararunt.

Quum jam ab Apostolica Sede cautum sit ne in uno eodemque loco plures existat sacratissimi Rosarii Sodalitates, Nos ejusmodi legem iterum inculcamus, et ubique observari jubemus. In praesenti tamen, si quo in loco plures forte existant, rite constitutae, sodalitates; facultas sit Magistro generali Ordinis ea de re pro aequitate judicandi. Ad magnas vero urbes quod attinet, plures in iis, uti jam ex indulgentia provisum est, haberi possunt titulo Rosarii Sodalitates, ab Ordinariis pro legitima institutione Magistro generali proponendae (1).

VI

Quum nulla habeatur sacratissimi Rosarii Sodalitas princeps, cui aliae minores aggregentur, hinc nova quaevis hujusmodi consociatio, per ipsam sui canonicam institutionem particeps fit indulgentiarum omnium ac privilegiorum, quae ab hac Apostolica Sede aliis per orbem sodalitatibus ejusdem nominis concessa sunt.—Eadem ecclesiae adhaeret, in qua est instituta. Quamvis enim Sodalitatis privilegia homines spectent, tamen indulgentiae complures, ejus sacellum vel altare adeuntibus concessae, uti etiam privilegium altaris, loco adhaerent, ideoque sine speciali Apostolico indulto neque avelli possunt neque transferri. Quoties igitur Sodalitas, quavis de causa, in

(1) S. C. Indulg. die 20 Maji 1896.

aliam ecclesiam deduci contigerit, ad id novae litterae a Magistro generali expetantur. Si autem, destructa ecclesia, nova ibidem aut in vicinia aedificetur eodem titulo, ad hanc, quum idem esse censeatur locus, privilegia omnia atque indulgentiae transeunt, nulla requisita novae sodalitatæ institutione.—Sicubi vero, post institutam canonicè in aliqua ecclesia Sodalitatem, Conventus cum ecclesia Praedicatorum fuerit extractus, ad ecclesiam ejus Conventus Sodalitas ipsa, prout de jure, transferatur. Quod si, peculiari aliquo in casu de hac lege remittendum videatur, facultas esto Magistro generali Ordinis pro sua aequitate et prudentia opportune providendi; integro tamen sui Ordinis jure.

VII

Ad ea, quae supra decreta sunt, quaeque naturam ipsam et constitutionem Sodalitatis attingunt, quaedam accedere poterunt, quae ad bonum societatis regimen conferre videantur. Integrum est enim sodalibus *statuta* sibi condere sive quibus tota regatur societas, sive quibus aliqui ad peculiariora quaedam christianae pietatis officia, collata etiam pecunia, si placuerit, saccis assumptis vel secus, excitentur. Ceterum quaevis horum varietas non obest quominus indulgentiae possint acquiri a sodalibus, dummodo ea praestent, quae iis lucrandis ab Apostolica Sede praecepta sunt. Addita tamen hujusmodi *statuta* episcopo dioecetano probentur, ejusque moderationi maneat obnoxia, quod Constitutione Clementis VIII *Quaecumque* sancitum est.

VIII

Rectorum electio, qui nempe Sodalitatis membra inpiam societatem recipiant, eorum rosariis benedicant, om-

nibus denique fungantur muneribus praecipuis, ad Magistrum generalem vel ejus Vicarium, uti antea, spectet; de consensu tamen Ordinarii loci, pro ecclesiis clero saeculari concreditis.

Quo autem Sodalitati conservandae melius prospiciatur, Magistri generales ei rectorem praeficiant sacerdotem aliquem, in ecclesia, ubi est instituenda Sodalitas, certo munere fungentem vel certo fruentem beneficio, illiusque in hoc sive beneficio sive munere in posterum successores. Si, qualibet ex causa, desint; Episcopis, uti jam est ab hac Apostolica Sede sancitum (1), facultas esto ad id muneris deputandi parochos *pro tempore*.

IX

Quum haud raro peropportunum, quin etiam necessarium videatur, ut sacerdos alius legitimi rectoris loco nomina inscribat, coronis benedicat aliaque praestet, quae ad ipsius rectoris officium pertinet, Ordinis Magister rectori facultatem tribuat subdelegandi, non generantim quidem, sed in singulis casibus, alium idoneum sacerdotem, qui ejus vices gerat, quoties justa de causa id opportunum judicaverit.

X

Item, ubi Rosarii Sodalitas ejusque rector institui nequit, Magistro generali facultas esto designandi alios sacerdotes, qui fideles, indulgentias lucrari cupidos, Sodalitati propinquiore aggregent, et Rosariis benedicant.

XI

Formula benedicendi Rosarii, seu Coronae, usu sacra-

(1) S. C. Indulg., die 8 Jan. 1861.

ta, inde a remotis temporibus in Ordine Sodalium Dominicanorum praescripta et in appendice romani Ritualis inserta, retineatur.

XII

Etsi quovis tempore nomina possint legitime inscribi, optandum tamen ut solemnior illa receptio, quae, sive primis cujusque, mensis dominicis, sive in festis majoribus Deiparae haberi solet, apprime servetur.

XIII

Unicum sodalibus impositum onus, citra tamen culpam, est Rosarium unaquaque hebdomada cum quindecim mysteriorum meditatione recitandum.

Ceterum sua Rosario genuina forma servetur, ita ut coronae non aliter quam ex quinque aut decem aut quindecim granorum decadibus coalescant: item ne aliae cujusvis formae rosarii nomine appellentur; denique ne humanae reparationis mysteriis contemplandis, usu receptis, meditationes aliae sufficiantur, contra ea quae jamdiu ab hac Apostolica Sede decreta sunt, id est, qui ab his consuetis mysteriis meditandis recesserint eos Rosarii indulgentias nullas lucrari (1).

Sodalitatum rectores sedulo curent ut, si fieri possit, quotidie, vel saltem quam saepissime, maxime in festis beatæ Virginis, ad altare ejusdem Sodalitatis, etiam publicae Rosarium recitetur; retenta consuetudine huic Sanctae Sedi probata, ut per gyrum cujuslibet hebdomadae singula mysteria ita recolantur: *gaudiosa* in secunda et quinta feria; *dolorosa* in tertia et sexta; *gloriosa* tandem in dominica, quarta feria et sabbato (2).

(1) S. C. Indulg., die 13 Aug. 1726.

(2) S. C. Indulg., die 1 Jul. 1839 ad 5.

XIV

Inter pios Sodalitatis usus merito primum obtinet locum cum pompa illa solemnis, qua, Deiparae honorandae causa, vicatim proceditur, prima cujusque mensis dominica, praecipue vero prima Octobris; quem morem, a saeculis institutum, S. Pius V commendavit, Gregorius XIII inter *laudabilia instituta et consuetudines* Sodalitatis recensuit, multi denique summi Pontifices indulgentiis locupletarunt (1).

Ne autem hujusmodi supplicatio, saltem intra ecclesiam, ubi temporum injuria extra non liceat, unquam omittatur, privilegium a Benedicto XIII Ordini Praedicatorum concessum, eam transferendi in aliam dominicam, si forte ipso die festo aliqua causa impediatur (2), ad omnes Sodalitatum sacratissimi Rosarii rectores extendimus.

Ubi autem propter loci angustiam et populi accursum ne per ecclesiam quidem possit ea pompa commode duci, indulgemus, ut, per interiorem ecclesiae ipsius ambitum, sacerdote cum clericis piae supplicationis causa circummeunte, Sodales, qui adstant, indulgentiis omnibus frui possint eidem supplicationi adnexis.

XV

Privilegium Missae votivae sacratissimi Rosarii, Ordini Praedicatorum toties confirmatum (3), servari placet, at-

(1) S. Pius V *Consueverunt*, die 17 Sept. 1569; Gregorius XIII *Monet Apostolatus*, die 1 Apr. 1573; Paulus V *Piorum hominum*, die 15 Apr. 1608.

(2) Constit. *Pretiosus*, die 26 Maji 1727, § 18.

(3) Decr. S. C. Rit., die 25 Jun. 1622; —Clemens X *Caelestium munerum*, die 16 Febr. 1671; Innocentius XI *Nuper pro parte*, die 31

que ita quidem ut non solum Dominiciani sacerdotes, sed etiam Tertiarii a Poenitentia, quibus Magister generalis potestatem fecerit Missali Ordinis legitime utendi, Missam votivam *Salve Radix Sancta* celebrare possint bis in hebdomada, ad normam decretorum S. Rituum Congregationis.

Ceteris vero sacerdotibus in Sodalium album adscitis, ad altare Sodalitatis tantum Missae votivae celebrandae jus esto, quae in Missali romano pro diversitate temporum legitur, iisdem diebus ac supra et cum iisdem indulgentiis. Harum indulgentiarum sodales etiam e populo participes fiunt, si ei sacro adstiterint, culpisque rite expiatis vel ipsa confessione vel animi dolore cum confitendi proposito, piás ad Deum fuderint preces.

XVI

Magistri generalis cura et studio, absolutus atque accuratus, quamprimum fieri potest, conficiatur index Indulgentiarum omnium, quibus romani Pontifices Sodalitatem sacratissimi Rosarii, ceterosque fideles illud pie recitantes cumularunt, a sacra Congregatione Indulgentiis et SS. Reliquiis praeposita expendendus et Apostolica auctoritate confirmandus.

Quaecumque igitur in hac Apostolica Constitutione decreta, declarata, ac sancita sunt, ab omnibus ad quos pertinet servari volumus ac mandamus, nec ea notari, infringi et in controversiam vocari posse ex quavis, licet privilegiata causa, colore et nomine: sed plenarios et integros effectus suos habere, non obstantibus praemissis et, quatenus opus sit, Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis,

Jul. 1679, cap. X, nn. 6 et 7; Pius IX in Summarium Indulg., die 18 Sept. 1862, cap. VIII, nn. 1 et 2.

Urbani VIII aliisque apostolicis, etiam in provincialibus ac generalibus Conciliis editis Constitutionibus, nec non quibusvis etiam confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus ac praescriptionibus: quibus omnibus ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo octavo, sexto nonas Octobris, Pontificatus Nostri anno vicesimo primo.

C. CARD. ALOISI MASELLA PRO DAT.—A. CARD. MACCHI.—Visa: DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.—*Loco † Plumbi.*—*Reg. in Secret. Brevium.*—I. CUGNONIUS.

SAGRADA CONGREGACIÓN DE ESTUDIOS

PRECES DIRIGIDAS POR EL EXCMO. SR. OBISPO DE MÁLAGA

Emmi. Patres: Vix apparuerat istius S. St. C. Instructio ad Archiepiscopos Hispanos circa studiorum rationem, graduumque in centralibus Seminariis collationem, cum Episcopus infrascriptus, Sanctae Sedis jussa obsecundare cupiens, de ordine studiorum in suo Dioecesano Seminario ad mentem praefactae instructionis disponendo satagere caepit. Re igitur iterum iterumque perpensa; haud parvi momenti incommoda oriri visa sunt, praecipue ex iis quae praecipuntur pro alumniis, qui ex sufraganeis Seminariis graduum collationem exoptaverint. His enim praecipitur

frequentia cursus facultatum in Pontificiis Institutis per solidum bienium; quod quidem valde operosum evenit tum Seminario Dioecesano, tum ipsiusmet alumnis, tum denique Episcopo referenti.

Et revera, Schola Episcopalis Malacitana, a suis cunabulis egregia, plurimos peperit viros, eosque praeclarissimos, qui scientia et pietate conspicui insignia Beneficia et honoratiora munia in Cathedralibus et Hispanicis Dioecesisibus obtinuerunt: paucis abhinc diebus duodecim filii, inter quos, omnium indignissimus, qui suscribit Episcopus, hujus S. S. Sebastiani et Thomae Aquinatis Seminarii, in Ecclesiis istius Boeticae regionis, Praebendis simul potiebantur, periculo ut plurimum oppositionis acquisitis: haec nostrorum gloria amodo obnubilanda manet marcescet igitur hujus Scholae laurum, quoniam ejusdem filii impotes ut plurimum, ab biennium in Metropoli transigendum, ad gradus quoque academicos ascendere nequibunt.

Qui etenim, nunc temporis, ecclesiasticis studiis in nostris Seminariis operam navant, rerum publicarum perturbatione et acri adversitate sic favente, ferme omnes pauperes sunt bonorumque egestate maxima laborant: adeo ut in Tridentina Schola hujus Civitatis Malacitanae, hujus, inquam, Civitatis tam insignis in numerositate, florentis in commercio, divitis in sua industria, non nisi tertia pars alumnorum, qui sub tegmine illius degunt solvere possint pensionem exiguam pro alimoniis statutam. Quomodo ergo ad Pontificium Institutum transmigrabunt deficiente illic patrum ac familiarum cura et adjutorio, concivium et benefactorum levamine?

Haud minoris sunt ponderis difficultates ex ejusmodi biennali transmigracione, Episcopo Dioecesano occurrentes. Haec etenim clericorum e latere Episcopi avulsio, ea aetate et occasione in qua assumptio eorum ad superiores

gradus vicinatur, foecunda fons anxietatum erit proprii Pastoris conscientiae, praecipue si alumno per totum biennium, in extranea (et ideo periculosiori) Civitate Metropolitana, extra Seminarii septa commorari licebit. Accedi quod data alumnorum et clericorum lacrymabilis penuria, ratio internae Collegiorum disciplinae expostulat, ut alumni qui jam superiorum cursuum studia operam navant quaedam munia exerceant, quaedamque peragant ministeria in ipsius scholae interiori regimine, unde absentia horum provectorum scholarium, in ordine et disciplina Collegii quodammodo redundat.

Valde igitur undequaque operosa videtur transmigratio alumnorum ad Centrale Seminarium ut ejus cursus et aulas frequentent.

Collatis autem consiliis cum coetu proffessorum hujus Seminarii, qui omnes Doctores in scientia peritissimi virtute praestantes et convenienti numero inveniuntur, dubium in eis ortum est, circa interpretationem regulae XVI Instructionis Hujus S. C.; etenim dummodo primus illius regulae paragraphus praecipere videtur frequentiam cursum in Centrali per biennium, in altero ejusdem paragrapho, ratio dispositi petitur ex discrepantia programmatum, studiorumque ordinis et ponderis; si ergo studia, eodem quo in Pontificio Instituto ordine, ipsiusmet programmatibus et textibus, parique praestantia peragantur, verba Instructionis nonnisi consiliativa videntur; proindeque solutae manebunt difficultates quae ex biennali transmigratione tyrorum, modo conspiciuntur.

Talem esse sensum Instrucciones hujus S. C. die 30 Junii 1896 datae, confirmari videtur ex Statutis ad Ipsius mentem editis, ab ipsametque approbatis pro facultatibus Sacrae Theologiae, Juris Canonici et Philosophiae scholasticae in Seminario Centrali Toletano erigendis; etenim

in. cap. 8.º eorundem haec leguntur «Alumnii illius Seminarii cujus ratio studiorum ac programmata eadem sint ac nostrarum facultatum, uno tantum anno in hoc Seminario degant necesse sit».

His omnibus perpensis, cum agatur de Civitate perillustri; cum agatur etiam de Seminario inelyto et insignium Magistrorum corona laureato; cumque versemur hic in adversa bellorum fortuna, quorum aerumnae in dies protrahentur, difficiles atque operosissimas vias Episcopis offerendo ad Levitarum educationem, qui suscribit, huic Sacrae Congregationi sequentia humiliter offer postulata.

I. Ut hujus Seminarii Alumni qui ad normam anterioris studiorum rationis jam tertium S. Theologiae cursum debito examine superarunt, possint in Centralibus ad Licentiam admitti expleto sexenario ab illa praescrito, cum ea qua par sit adaptatione studiorum novae Hujus S. C. Inst. pro Institutis Pontificiis datae.

II. Quod semel ac perficiatur in hoc meo Seminario (quod illico perficiendum curo) adaptatio perfecta et completa statutis Seminarii Metropolitanici jam ab hac S. C. approbata, necnon et ipsius programmatibus et regiminibus in omnia et ad unguem, fas sit meis alumnis in Ipso Pontificio Instituto ad Licentiam admitti in S. Theol. quarto cursu rite expleto, stante tantum praecepto illic adeundi et in illo manendi pro quinto cursu ad Doctoralem lauream obtinendam.

Faxit Deus quod petitio mea inveniat gratiam in oculis vestris, haec enim facientes et laurum Seminario insigni, et stimulum scholaribus studiosis et auxilium indiguo, qui suscribit Episcopo, tribuetis.

Mihi denique gratum est, Emmi. ac Rvmi. Patres impensos animi mei sensus testatos facere Eisdem Eminen tissimi Vestris, quibus laeta omnia ac fausta a Domino

adprecor, dum Sacram Purpuram devotissime deosculor.

Malacae 16 Jul. 1898.— † JOANNES, EPISCOPUS MALACITANUS.

Contestación de la S. Congregación al anterior postulado

Illme. ac Rme. Domine: Petitio nuperrime ab Amplitudine ac h. S. St. Congregationem transmissa similis prorsus est petitioni tribus abhinc mensibus ab Emo. Archiepiscopo Compostellano porrectae, cui ex S. Pontificis mandato, licet aegre, negative responsum fuit.

Rationis ad eadem A. T. adductae, ut nempe clerici istius Seminarii Malacitani, absolutis inibi S. Theologiae cursibus, sese ad Instituta Pontificia nuper in Hispania erecta conferre possent ut licentia examina superarent, quin Instituti cursus frequentare tenerentur, non ita validae ab h. S. C. censeantur, ut quae a EE. Patribus scite ac prudenter nuperrime constituta sunt decreta nedum pro Hispania sed pro omnibus Institutis et Universitatibus haeic Romae et per Orbem existentibus, ullo pacto corrigi ac moderari deberent.

Generalis lex est, et praxis ubique terrarum, rigidior profecto penes omnes laicas Universitates, viget ut ibi gradus alumni suscipere possent, ubi studia complevisent. Si qui penes Hispaniam hucusque contrarius invaluit usus, non nisi temporaneis concessionibus permissum fuit, quibus profecto per decem Institutorum erectionem derogatum est. Lex igitur nova ex rationabili ac universali praxi suffulta, ut Ampl. T. optime novit, ita quoad gradus assequendos in Hispania est proposita, ut nempe baccalaureatus penes Seminaria ex antiquo privilegio con-

ferri posset, licentia vero et doctoratus penes decem Instituta et nonnisi alumnis qui eorundem scholas celebra-
verit.

Hac ferme ratione lex bienni statuta pro Gallia fuit, et etiam Romae per litteras circulares anno 1896; imo Epis. Universitatum, Parisiensis Tolosano et Lyonensis Fundatoribus numero 74 per procuratorem specialem Romam ad id missum, dispensationem cursuum pro licentiae examinibus instantissime poscentibus, negative respondendum EE. Patres in plenariis Comitibus mense Junio anni 1895 habitis, uno ore decreverunt, ipso Summo Pontifice pluries adprobante, imo et mandante. Eadem responsio Epis. Bisuntino et Bituricensi facta est anno 1896.

Haud ergo aegre ferat Amplitudo Tua, si hujusmodi recentibus obversantibus decretis, petitioni facere satis haec S. C. minime possit.

Quod ad alumnorum paupertatem et pericula objecta attinet, poterunt penes Seminaria centralia nisi Sacerdotes sint, degere per unum annum, quo absoluto, ad licentiae contendere gradum poterunt, qui licet doctoratu inferior ad effectus tamen canonicos sufficit. Quod si, ut A. T. promittit, ratio studiorum penes istud Seminarium ita constitueretur, ut uniformis prorsus foret ac apud centralia praescribitur, nobilissimum hoc propositum nonnisi valde commendare S. Congregatio poterit, sed non inde sequetur, jus esse alumnis a Facultatibus cursibus dispensari: quia programmatum uniformitas non sola ratio est sufficiens ad privilegium collationis, vel ad cursuum dispensationem obtinendam: de multis enim aliisque conditionibus praemuniri S. C. debe et certior fieri, an reapse ex. gr. et Professores habiles sint et Doctores, an materiae profundius et majori amplitudine pertractentur, an exercitationes scholasticae rite ita fiant ut alumni ad aemulationem

in dies excitentur, an Praefectus studiorum suo munere alacriter fungatur, an examina baccalaureatus et pro annuit experimentis nimis remisse haud fiat, aliaque nimis complexa ac innumera concurrant quae propria sunt Universitati, cujus est quasi alma mater alumnos veluti alere, fovere et ad fastigium graduum ducere.

Quod si haec omnia comparari posse penes Seminarium Malacitan. Ampl. Tua testetur, duo poterunt inde concludi, 1.º ut vel Seminarium ipsum ad dignitatem Instituti Pontificii rite evehatur: et hoc opportunum nullus dixerit, sive quia decem jam constituta fuerunt, sive quia alia Seminarium continuo idem poscent. Vel 2.º, admissa programmatum uniformitate ob studiorum amplitudinem ac profunditatem et alumnorum praeter ceteris Seminariis profectum et superioritatem, nonnisi valde gratulandum erit pro Ecclesia, cujus sollicitudo est potius doctos requirere clericos, quam doctores.

Si qui, reapse docti, doctores fieri velint, praescriptis conditionibus subjiciantur necesse est, a quibus *in genere* dispensare haec S. Congregatio nec potest nec debet, licet in casibus specialibus Ampl. Tuae commendationibus libenter indulgere sit parata, prouti pro aliis Hispaniae Dioecesibus in usu est.

Haec erant pro munere, quo fungor, Ampl. Tuae significanda, cui aestimationis meae sensus pandere pergratum habeo ac manus deosculor.

Romae die 24 Augusti 1898.

Amplitudinis Tuae Illmae. ad Rmae.—Humillimus servus, *Joseph Magno, a Secretis.*

Illmo. ac Rmo. Dño. Joanni Muñoz et Herrera, Episcopo Malacitan.

E S. R. UNIV. INQUISITIONE

**Circa matrimonia infidelium inita cum ea intentione ut sint
dissolubilia.**

Eminentissime Princeps:

Responsum datum est Rmo. Episcopo Siouxormensi cum quaesivisset ut infra sequitur:

«Episcopus Siouxormensis ad pedes S. V. provolutus, quae sequuntur exponit: Mos est Indianis hujusce regionis contrahendi matrimonia, uxorum suarum indolem ac qualitates tentandi gratia, nempe utrum bonae sint ac prudentes nec ne, et animo dimittendi si fatuae ac improbae. Hinc duo sequentia dubia a S. V. solvenda Episcopus orator implorat.

I. «Potest ne ipsis fides adhiberi si jurejurando affirmant se nunquam indissolubili vinculo cum praecedentibus uxoribus matrimonium contraxisse eisque permitti ut sibi jungant secundum leges S. Matris Ecclesiae eam quam nunc habent?

II. «Possunt ne illi pagani, praecedentibus uxoribus adhuc viventibus dimissis, ducere eam, cum qua nunc vivunt, si cum ipsa baptizari velint, et Christianorum more matrimonium contrahere?

«Feria IV die 18 Maji 1892: in Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis proposita suprascripta instantia, praehabitoque Rmorum. DD. Consultorum voto, Emmi. DD. Cardinales in rebus fidei et morum generales Inquisitores rescribendum decreverunt:

Ad I. «Affirmative si agatur de infidelibus, post institutum diligens examen omnium adjunctorum circa ipsorum credibilitatem, et nullum aut leve dubium supersit de assertionis veritate.—Negative si agatur de fidelibus, sed requiritur legitima probatio.

Ad II. «Si instituto diligenti examine matrimonium cum prima, quae jam baptizata fuerit, validum invenitur, ad illam redire omnino tenentur. Si autem non fuerit baptizata, vi art. II formulae 1^{ae}, satis erit eam interpellare, utrum velit converti. Ubi vero converti nolit, vel serio dubitetur de validitate matrimonii cum prima, poterunt quamlibet ducere, dummodo erit baptizata, renovato consensu.

«Sequenti vero die 19 in Audientia r. p. D. Adessori S. O. impertita, Ssmus. D. N. Leo divina providentia Pp. XIII relatam sibi EEmorum. Patrum resolutionem adprobare dignatus est».

Quaerit ulterius idem Episcopus Siouxormensis relate ad primum ubi responsum est a S. Congregatione: «Affirmative si agatur de infidelibus etc., negative si agatur de fidelibus, sed requiritur legitima probatio». Nunc autem quaeritur de hoc casu qui in praesenti est, nempe: Duo infideles Indiani baptizati sunt a ministro anglicano sine ulla instructione de matrimonio christiano, ita ut remaneant illi duo baptizati mulier et vir in primaeva pagana notione de matrimonio, idest, credunt se nunquam indissolubili vinculo cum praecedentibus uxoribus matrimonium contraxisse, eisque permitti ut sibi jungant secundum leges S. M. Ecclesiae eam quam habent. Nunc vero vir Indianus, qui tale matrimonium cum primaeva Indiana notione contraxit ad fidem catholica convertitur, et quamvis ambo fuerint ab anglicano ministro baptizati et coram eo matrimonium contraxerint; attamen cum matrimonium

contraxerint nulla praecedenti instructione de matrimonio christiano, sed omnino cum notione primaeva pagana, et cum vir Indianus, qui ad fidem catholicam convertitur petat, ut matrimonium dissolvatur ob adulterium sponsae vel uxoris, quaeritur utrum responsum ad I. hunc casum attingat.

Feria IV, die 25 Maji 1898.

In Congregatione Gen. S. R. et U. Inquisitionis habita ab EEmis. et RR. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis precibus, praehabitoque RR. DD. Consiliorum voto, iidem EE ac RR. Patres rescribendum mandarum:

Primam partem resolutionis S. O. diei 18 Maji 1892 spectare eos qui in infidelitate contraxerant, ideoque applicari non posse iis qui post susceptum baptismum contraxerunt ut in casu. Restat igitur ut Episcopus diligenter inquireat an eorum matrimonium fuerit invalidum ob aliud impedimentum; vel ut ipse Indianus legitime probet se habuisse in contrahendo explicitam voluntatem repudii in causa adulterii, exterius manifestatum (1).

(1) Quod requiratur probatio explicitae voluntatis externe manifestatae, deductae in pactum super dissolubilitate matrimonii ad hoc ut matrimonium declaretur nullum, hoc eruitur ex pluribus declarationibus S. Officii, specialius ex declaratione ad Episc. Nesquallien., anno 1877 (V. *Collectanea S. C. Prop. Fidei*, pag. 452, n. 3) in qua dicitur: «Quamvis autem certum sit ex canone *Si conditiones de conditione* conditionem contrariam perpetuitati et indissolubilitati conjugalis vinculi ipsum matrimonium omnino nullum] atque irritum reddere; tamen ad hoc oportet ut talis conditio aliquo modo a contrahentibus in pactum fuerit deducta. Etenim Benedictus XIV ita ad rem docuit:—Credendum est eos (haereticos) generali voluntate contrahere voluisse matrimonium validum juxta Christi legem; ideo-

Feria vero VI die 27 Maji ejusdem anni SSmus. D. N. Deo Div. Prov. Pp. XIII per Emmum. D. Cardinalem Secretarium S. Officii Emmorum Patrum resolutionem adprobavit.

I. Can. MANCINI, S. R. et U. Inquisit Not.

SECRETARÍA DE CÁMARA

Circular

El Rmo. Prelado, mi Señor, interesa á los Párrocos y encargados de parroquias en la diócesis, que se sirvan manifestar, con la urgencia posible, si desean para sus respectivas parroquias la gracia especial de las Santas Misiones, y en qué época (fuera de la Cuaresma, que sin duda es la más á propósito) les conviene tenerlas; manifestando asimismo, por las circunstancias especiales de las feligresías, qué Religiosos ó sacerdotes al efecto preferirían.

Conviene advertir que las Misiones se dispondrán, desde luego, en forma tal, que no resulten gravosas ni á las parroquias ni á los Sres. Párrocos, los cuales hasta podrán proporcionar á los Misioneros, sin quedar por ello obligados á la oportuna retribución, alguna casa particular de su confianza donde pudieran hospedarse durante la Misión. Los Misioneros únicamente rebibirían los agasajos

que etiam adulterii causa non dissolvendum. Privatus enim error nec anteponi nec praejudicium afferre potest generali quam diximus voluntati, ex qua contracti matrimonii validitas et perpetuitas pendet». (De Syn. Dioec. L. XV. c. 22, n. 3). — N. D.

con que buenamente y con espontánea voluntad quisieran obsequiarles los feligreses.

Salamanca 15 de Noviembre de 1898.

DR. PEDRO GARCÍA REPILA,

Secretario.

SOBRE LA CAJA-BANCO DE CRESPO RASCÓN

Habiéndose pasado por la Junta de Patronos de la misma al Excmo. Prelado de la diócesis, como protector eventual de la fundación, el expediente instruido para aumentar los respectivos sueldos al auxiliar de la secretaría y al auxiliar de la administración de la Caja, así como para la creación de una nueva plaza de escribiente auxiliar de dicha administración; el Rmo. Prelado, cuya aprobación al acuerdo de la Junta se solicitaba en la comunicación que acompañara al expediente, se ha servido contestar á los Sres. Patronos lo que sigue:

«*Obispado de Salamanca.*—Tengo el honor de devolver á V. S. el expediente formado por la Junta de Sres. Patronos de la Caja de Socorros, que recibí oportunamente, no habiendo podido estudiarlo hasta que he regresado de la Santa Pastoral Visita.

Siento mucho defraudar las esperanzas de los peticionarios, y más aún el aparecer disconforme en este punto con esa dignísima Junta, pero entiendo que no procede, á lo menos por ahora, crear más plazas ni aumentar la dotación de otras ya existentes.

En los primeros años de esa administración consentí en cosa parecida á la que se pretende, porque la Junta de Patronos lo pidió con encarecimiento, y varios en conferencias privadas insistieron en que el aumento de sueldos respondía á una necesidad. Temía yo que el apartarnos

tan pronto en materia considerable de las reglas dictadas por el fundador había de dar, si no motivo verdadero, al menos pretexto para que se formasen juicios menos favorables á la marcha de la institución; y pronto vino el juicio público á confirmar mis temores, pues se consideraron como prodigalidad aquellos actos, y el mismo Consejo de Estado manifestó al Ministerio de la Gobernación la extrañeza con que había visto que así se alterasen, en los orígenes de la fundación, las reglas que la dió su autor.

Al presente, no ignoran los señores de la Junta que, en la exacerbación á que nos han llevado nuestras desdichas, se dirigen cargos terribles á nuestra manera de administrar, y se juzga exagerada y costosa nuestra burocracia, pidiéndose en todo la simplificación de los procedimientos y mayor suma de laboriosidad en los funcionarios. No censuro, tratándose de la Caja, á aquéllos ni á éstos: los unos serán necesarios, y á los otros los presumo fieles cumplidores de su deber: pero no obsta este juicio para que nos desentendamos de ese clamor universal, de esta tendencia general, tan racional y justa, de desear administración económica y sencilla. Creo, pues, que por lo pronto debemos estudiar, si es posible hacer más sencillas las operaciones de la Caja, para que pueda realizarlas el personal hoy existente, variándose, si fuese preciso, los reglamentos actuales, salvando siempre los fines intentados por los fundadores; y si esto no fuese dable, nos resignaríamos, andando el tiempo, á aprobar las medidas que se propusieren, no sin antes esforzarnos todos en llevar á la opinión pública (recelosa hoy para con todos los organismos administrativos), el convencimiento de la necesidad de aumentar plazas y sueldos con un capital dejado para beneficiar clases tan desgraciadas como las de labradores y ganaderos.

Dios guarde á V. S. muchos años.

Salamanca 3 de Noviembre de 1898. — *† El Obispo de Salamanca.*—Sr. Gobernador civil, como Presidente de la Junta de Patronos de la Caja fundada por los excelentísimos Sres. Condes de Crespo Rascón».